

## ŚMIERTELNA CHOROBA

*[Ioannes DANTISCUS] to UNKNOWN [a physician in Gdańsk (Danzig)]  
Heilsberg (Lidzbark Warmiński), 1548-10-14  
IDL 3445*

De victu priusquam mihi consilium Dominationis Vestrae allatum est, ne fluor iste alvi obstrueret, cibis liquidioribus et mollieribus sum usus, ante vel in ipsa meridie, imprimis mihi cerevisiam triceaceam cum pane silagineo intrito, butyroque immisso vel oliva munda, quam ex Venetiis semper habeo, decoqui iussi. De qua satis calida, quousque stomachus appetebat, vel liquidissimum ius ex pultibus avenae cum ovis mixtum ad me hucusque sumere soleo. Deinde de ovis sorbilibus, carnibus et pisciculis secundum tempus facil[io]ris digestionis praeter nauseam accipio. Potus est non vinum, quod p[ar]cius stomachus abhorret, sed vel unus, vel duo haustus tritice[ae] [cere]visiae et aqua in cinamomo, zuccaro etc. atque ex tribus portiunculis [ga]langae decocta, quam aliquando etiam cerevisiae addo et infundo illam ...cis aliquantis per, ne ita subito eluat, firmare alvum.

[S]itum urgentem non patior, sed oris siccitas me interdiu, aliquando et nocte insistit. De urina, [prout] difficulter a me capi potest, cum per scrotum foras funditur, non est, quod scribere poss[im].

Ex his omnibus Dominatio Vestra corporis mei habitum agnoscat et, quae salubriora [mihi] fore perpendet, consilium suum tam de sudore provocando etc., quam de victus ra[tione] habendo mihi impartiat. Dominationi Vestrae in memoriam coptae inter nos am[icitiae] quinque aureos Hungaros Gdani excusos mitto, quos boni, quaeso, consulat. Reliqua habebit ex litteris etc.  
XIIII Octobris, Heilsberg 48.

*Postscript:*

Plusquam ingero plerumque egero et eiusmodi crebrae egestiones, quas continere nequeo, magis me debilem et viribus vacuum faciunt, quam alia omnia accidentia. Si alvus constringi deberet et adhuc venter tumescit, metuo, ne quid deterius fiat. Quae omnia divinae misericordiae et voluntati, consilioque Dominationis Vestrae, quod illa regitur, commendo atque subicio etc.

# ŚMIERTELNA CHOROBA